

aspectu crassius facit: sextarium ad modium illinire solitum est. Quodque autem semen feruefactum perit, ac sterile redditur: quaquam sunt, qui ordeum, & triticum apud Babylonem resiliere in area, modo eorum quae friguntur, enarrat. Sedenim calor differetia quaedam profectio intelligi debet: & communia quidem haec quasi omnium, aut plurimorum appareant. Quaedam uero ex ijs quae syluestria quasi putantur, proprietatem quandam tum in generatione tum in germinatione sortiri plane uidentur, ut lupinum, atque auena. Lupinum enim licet robustissimum sit, tamen nisi protinus ab area terrae mandaueris, male proueniet, quemadmodum dictum est. Atque in totum condit hoc legumen subter terram recusat: qua de causa ne subarantes quidem id serunt, & saepe si in materiam, aut herbam praedensam quampiam incidat, eam uis summa impellendo diducit, radiceque terram contingit, & germinat. Solum arenosum & uitiosum potius poscit, atque in totum cultis prouenire non uult. Auena est diuerso: cultis enim melius haec erumpit. Et nonnusquam quae prius germinis infocenda esset, si diligenter colatur, germinat, copiosaque redditur. In totum, solum haec frugale desiderat. Peculiari uel illo a ceteris frumetaceis haec discerni putatur, quod annis alternis utrunque semen aptum sit prouenire. Quamobrem qui eam delere penitus uolunt (deleri enim percontumax est) segetes annos duos laxant a fatu: cumque plene diffusa in herbam est, pecus saepe impellunt, usque dum penitus depascatur. Idque planissimum eius exitium fit, quod simul & alternatam eius germinationem testatur.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI
OCTAVI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA
PLANTARVM LIBER NONVS.

De humore & sapore plantarum: deque gumma & lachryma: quodque lachrymis & thus, & myrrha, & balsamum, & mastica annumerentur: tum de cardui, pineae, equapij, laserpitij, uitis lachryma.

Caput I



VMOR plantae, quem nonnulli succum nomine publico appellat, uires pro cuiusque plantae ratione sortitur. Sapor humorem alium magis, alium minus consequitur: nec omnibus inesse appareat, ita exilis, & dilutus quidam in plerisque sentitur. Humor igitur plurimus omnibus, cum germinare incipiunt: sed ualidissimus, maximeque suam naturam ostendens, cum iam & a germinatione, & a fructificatione cessarunt. Accidit uero, ut uel proprium succi colorem plantae nonnullae fortiantur: alijs enim albus, ut lactuosus: alijs sanguineus, ut ceuteriae, & spinae, quam agrestem fusum appellant: alijs uiridis, alijs alius color: sed planius hoc in annuis, & annicaulibus, quam in arborum genere. Humor autem ipse quibusdam crassitudine tantum consistit, ut lactuosus: quibusdam etiam in lachrymae modum gignitur, ut abieti, pino, terebintho, larici, piceae, amygdalae, ceraso, pruno, iunipero, ulmo, spinae aegyptiae: nam ea quoque fert gummam, uerum non ex cortice, sed in uase. Adde illas, quae thus, quae myrrham praestant: lachrymis enim haec quoque annumerantur. Ad haec balsamum, & chalbanam, & si quid aliud simile sit. Qualem etiam spinam Indicam reddunt, ex qua illud myrrhae simile gignitur. Consistit & in lentisco, & in spina ixina dicta lachryma, quae masticam reddit. Haec autem omnia & fere quaecumque aliqua pinguedine consistent, odorata esse notantur: quae contra pinguedine carent, haec sine odore

proveniunt, ut gummi, & amygdalæ lachryma. Quin & pinea carduus, quæ in Creta insula exit, habere lachrymam dicitur: & hirci spinam appellatam addunt. Hæc antea nasci tantum in Creta putabatur, nunc uero in Achaia etiam Peloponnessi, & alijs locis, & Asia circa Mediam comperiri certum est. Et eorum quidem omnium lachryma in caulibus, caudicibus, ramisq; consistit: quorundam autem in radicibus, ut equapij, & scammonia, & aliorum multorum uim medicam gerentium. Nec desunt quæ tum in radice, tum in caule habeant: caulem enim & radicem nonnullorum liquare consueuere, ut etiam laseris. Ergo equapij lachryma myrrhæ similis constat: quamobrem cum quidam hinc nasci myrrham audiissent, equapium apud se provenire putarunt. Seritur equapium etiam sua lachryma, ut liliū, & alia quædam. Laserpitij lachryma gustu uehemens modo ipsius laserpitij constat. Quod enim laser uocant, lachryma est. Scammonia & reliqua huiuscemodi, uim medicam (ut retulimus) fortiuntur. Ex prædictis autem omnibus, alia sponte consistunt, alia incisura, alia modo utroq;. Cæsura scilicet capiuntur quæ utilia, magisque operæ precium sunt. Quapropter amygdalæ lachrymam nullus extrahit, nulla enim in re utilis esse potest. Quibus concretio sponte consistit, his fluxus humoris largior prodit. Non eodem tempore omnium incisuræ atque concretiones notantur. Sed uitis lachrymam consistere potissimo aiunt, si paulo ante germinationem cædatur. Autumno uero & hyeme incipiente, minus. Quanquam ad fructificandū, & tempestiue quidem, maiore ex parte tempora illa statuuntur.

De cæsura ad resinam, quoq; modo resina fiat. Item de pice.

Caput II



Erebinthum & pinum, & si quæ resinam alia faciant, cædendas post germinationem affirmant. Ad summam, cæsura earum, non annua, sed post plus temporis fieri solet. Thus atq; myrrham sub Cane, feruentissimisq; diebus incidi referunt. Sic & balsamum quod in Syria nascitur. Sed diligentior, parciorq; cæsura eorum infertur. Humor enim confluuium parcius accedit. Quorum autem & caulis, & radix inciditur, horum caulis antea ferrum recipit, ceu laseris. Eorum deniq; succum alterū cauliam, alterū radicem uocant: præstantior radicias est: purus enim, translucidus, & sicior, caulias uero humidior, & ideo farinam ei inspergunt, ut satis coagulari possit. Incisuræ tempus idoneum Pœni nouere. Laser enim illis legendum natura largita est. Quin & radicem cæsores, & qui succos medicos legunt, caules liquare antea solent. Ad plenum uero, & qui radices, & qui succos legant, omnes tempus suum cuiq; obseruant: ergo commune id esse omnium constat. Resina uero in hunc modum fieri solita est. In pino quidem ubi iam uulnerata arbore, teda detracta est, resinam hauriunt, sic enim in uulnus inuectum, humor copiosior confluit: in abiete uero, & picea cum lignis degustatis uulnus intulerint: haud enim quanq; secretionē modo eodem agi mos est. Vulnerant enim & terebinthos parte utraq;, caudice scilicet & ramo, sed copiosior & melior, quæ in caudicem defluit. Differunt etiam arborum ratione. Optima enim quæ ex terebintho, spissa nanq; & leuissima, & odore gratissima est, uerum pauca: secunda quæ ex abiete & larice, & picea, leuior enim, quam quæ ex pino. Copiosissima, & ponderosissima, & picosissima, quæ ex pino: teda enim pinus referta est. Portatur utribus liquida, dein sponte, quo nunc cernitur modo, spissatur. Quanquam terebinthum etiam picem apud Syros largiri affirmant. Est enim mons (ut inter superiora retulimus) ingens, terebinthis amplissimis totus repletus. Quidam & piceam, & cedrum, & palmam addunt. Sed hoc quia rarum, pro contingente potius accipi debet: nam qui Macedoniam colunt, ne pinum quidem picis gratia urunt, præterquam marem. Sterilem enim marem nuncupant. Fœminæ

minæ uero radicem tantū accipiunt. Omnis etenim pinus tedam radice ingerit. Pix optima purissimaq̄, quam loca admodū aprica, & aquilonia præbent: cōtrā quam opaca, horridior limumq̄ referens: locis enim admodum depressis atq̄ opacis, nec ullo quidem pacto pinus exire potest. Est præterea sterilitas quædā fertilitasq̄ tum copix tum bonitatis: quippe cum mediocri hyeme copiosa, & bona, & colore candidior reddatur, aspera uero pauca atque deterior: quæ quidem copiam & bonitatem picis definiunt. Non larga fructificatio pinorum. Idæi qui pinos discernunt, & aliam idæam, aliam marinam cognominant, picem fieri aiunt ex idæa largiorem, nigriorem, dulciorem, in totumq̄ faciliorem, & odore gratiorem, dum cruda sit, de-
 10 cocta enim in minus contrahi, quoniā plus habeat feri: quamobrem etiā tenuiorem hanc esse addunt. Ex marina autem flauiolem & crassiolem, scilicet crudam, ita ut decoctio minus auferat. Sed tedatiorem idæam tradunt (utq̄ simplicius loquar) tantundem tedæ, plus dilutius picis imbribus frequentatis, quam squaloribus reddere uolunt: & ex hybernis, opacisq̄ locis plusquam ex apricis, serenisq̄. Hæc igitur ita Idæi atq̄ Macedones asserunt. Replentur caua plagarum, uidelicet in tantum, ut iterum pix extrahi possit. Frugalis pini, anno proximo, mediocris: secundo, uitiosa: tertio, repletio non coitu ligni, sed incremento picis conficitur: lignum enim in hac arbore coire, iterumq̄ unum refici nequit, sed cōfectio quidem picis reddi post tantum temporis solet: necesse autē ligni quoq̄ agnationem fieri quandam. Siquidem
 20 detracta, deustaq̄ teda, effluuium euenire picis solitum est. Id igitur accipi ita decet. Idæi ubi arboris caudicem cortice dispoliarint, quod parte solari, binis aut ternis a terra cubitis facere consueuere, confluxum istuc fieri non sine teda uno cum plurimum anno affirmant. Idq̄ cum securi detraxerint, secundo iterum anno teda locum expleri, & tertio pari modo. Posthac ob eam paulatinam incisuram arborem extenuatam, putrefactamq̄, humi facile a flatu prosterni, tum eius cor extrahi (hoc enim tedam maxime præfert) necnon & radicē effodi: hanc enim omnibus tedam constare, ut diximus, sed hac in re probas quidem (ut dictum est) crebrius uulnus accipere, deteriores uero longiori tempore pōst, & parte aliqua reseruata, plus temporis resistere posse. Tota uero detracta minus cōsentaneum prorsus est, ternas ta-
 30 men detractiones eiusmodi maxime arbores tolerare posse uidentur: non simul & fructificat & tedificat pinus, sed protinus nouella fructificat, multo autem pōst facta uetustior tedificat.

Quemadmodum pix uratur, fiantq̄ carbones. Item de thure & myrrha. Caput III

Picem urere hunc in modum consueuerūt: cum locum æqualem præparauerint, & ueluti area facta concursum habente, in medium diligenter pauimentarint, truncos perfissos componunt: proxime sanē compositioni carbonem faciētium, præterquam quod sine fossa opus perficiunt, lignis erectis, & inter se coherentibus, ita ut altitudinem
 40 assidue pro multitudine capiant. Quos fieri aiunt cum compositionem descripserunt circuitu centenorum octuagenorum cubitorum: altitudine uero cum plurimum sexagenorum, aut centenorum & quinquagenorum ambabus, si teda piniguissima sit. Cum igitur tedam ita construxerint, & materiam pertexerint, aliqua terra superinfusa undiq̄, summa cum diligentia occultant, ut ignis nulla ex parte emicare possit. Pix enim peribit, si id acciderit. Succendunt autē per aditū relictum: dein eam quoque partem stipant materie, & obstruunt terra: reliquasq̄ omnes obseruant, & quacuncq̄ fimum protrudi uiderint, scalis scandentes, terram assidue infundunt, quo nullo pacto flamma erumpere possit. Canalis uero per medium structus aceruum, picem fluentem in foueam ducit, cubitis circiter quindecim ab

aceruo. Pix effluēs tactu frigida sit. Vritur duos dies, & totidem noctes cum plurimum: saepe enim postridie ante solis occasum exusta iam est, rogasq; cessit. Id enim euenit cum nihil reliquum est, quod amplius fluat. Totum autē tempus, quo tedauritur, uigilantes obseruāt, ne quid ignis erumpat, & sacrificant atq; concelebrant precantes, ut pix sibi copiosa, bonaq; benignitate fiat deorum. Macedones hoc modo urere assolent. In Asia uero Syros non detrahare tedam aiunt, sed in arbore ipsa adurere instrumento inuecto quodam industrie fabricato: hoc enim partem unam accendi, qua liquefacta, aliam atq; aliam uice pari successionis ignem recipere. Finis autem operis, & cessandi indicium, cum scilicet nihil defluit. Terebinthos illi (ut superius exposuimus) urunt: pinum enim nequaquam Syria fert. Resina & pix hoc modo fieri solēt. De thure, & myrrha, & balsamo, & si quid aliud simile cōstet, tam incisura quā sponte prodire posse, dictum iam est. Nunc quae in ortu, collectu, reliquisq; propria eorum possint intelligi, explicare tentabimus: & reliqua quoq; odorata quoad fieri possit, persequemur: quae omnia uel maxima quidem ex parte locis meridiei orientiq; datis, proueniunt.

Vbi thus, myrrha, casia, cinamomum gignantur. Item arborem thuris omnem penitus aspernari cultum.

Caput IIII



Ignitur ergo thus, & myrrha, & casia, & cinamomum regione Arabū media, circa Saba & Adramyta, & Citibæna, & Mamali: & exeūt thuris, myrrhaeq; arbores, aliae super mōtem, aliae in pede montis culturis proprijs: quamobrem aliae coluntur, aliae uitam agunt incultae. Montem istum praëaltum affirmant, & ningi solitum: amnes quoque de eo in plana fluere. Arborem thuris non magnam, sed quinīs ferē cubitis attonli, permultosq; ramos gerere ferunt: folium piri, nisi quod multo minus, & colore plene herbidum modo rutae, corticem leuem omni ex parte, lauri modo. Myrrham minorem etiam altitudine, fruticosioremq; narrant, caudice duro, contortoq; iuxta terrā, crassioriq; sura hominis, cortice leui, similiq; potulacae: alij uero qui se uidisse affirmant, de magnitudine fermē cōsentiunt. Neutram earum arborum magnam referūt, & minorem myrrhae, humidiorēq;. Sed thuris folium laurinum, leueq; Myrrhae aculeatum, non leue, ulmeo simile: crispum tamen, extremō spina horridulum, ilignei modo. Iidem ea nauigatione, qua ex sinu Heroum uehemēter egresos sese aquam in monte quāssisse dixerunt, atq; ita uidisse has arbores, & lectionem notasse hoc modo ambarum: & caudices, & ramos incisos quidem, sed alios ueluti securi percussos uideri, alios tenuiores incisuras habere: & lachrymam aliam decidere, aliam arbori inherere: nonnusquam etiam subiectas tegetes ex palmis contextas, alibi solum tantūmodo circumpauimētatum & purum. Thus quod tegete exciperetur purum esse atque perlucidum: quod terra, minus: quod arboribus inhereret ferro depecti, & corticem ideo nonnullis adiungi. Montem autem uniuersum Sabaeis diuisum dixerunt: hos enim loci illius dominos esse, iustitiaq; mutua de gere, quamobrem nullum suas arbores custodire: unde & thus, myrrhamq; sese large ad naues solitudine deportasse narrarunt. Illud quoque ijdem se audiuisse dixerunt, myrrham, thusq; collectum undique ad Solis delubrum conuehi, quod Sabaeorum esse sanctissimum inter omnia regionis illius: custodesq; Arabes armatos habere, quibus singulos suum thus aceruatum, & myrrham eodē modo relinquere, posita super aceruum tabella, literis significante numerum mensurarum & precium, quod pro singulis mensuris ponendum sit. Mercatores uero qui uenerint tabellas aduertere, eiusq; quod placuerit acta mensura precium in eodem ponere loco, unde merces acceperint: sacerdotem deinde uenire, parteq; tertia precij deo accepta,

accepta, reliquum ibidē relinquere: idēq; seruari tutissime dominis, donec acceptum uenerint. Alij thuris arborem lentisco similem prodidere, & fructum quoque lentisci, folium subrutilum. Thus recentium arborum candidius esse, minusq; odoratum: ueterum flauius, odoratiusq;. Myrrhæ autem arborem terebintho similem reddidere, sed scabriorem, spinosiorēq;: folium paulò rotundius, gustatu proximum terebintho. Earum quoq; ueteres præstantiores haberi. Ambas uero nasci in eodem loco terra subargilia & fabulosa, & aquas fonte fluentes raras admodū comperiri. Hæc ergo illis repugnant, uidelicet ningi, & imbribus perluui, & amnibus locum illum exhilarari. Arborum tamen istam similem terebintho constare quidam alij tradunt: nec desunt qui terebinthum eam esse omnino putēt. Arabes enim qui thus aduexere, ligna huius arboris Antigono attulisse aiunt, quæ nihil à terebintho differrent. Sed hi quidem altera quoq; ignorantia quidem longe maiore laborarunt: thus enim & myrrham nasci ex eadem arbore putauerunt. Quamobrem uerisimilius illi narrarūt, quos ex Heroum oppido profectos nauī retulimus. Nam & arbor thuris, quæ super Sardes, apud delubrum quoddam surrexit, fronde lauri constat. Siquidem ex eadem ducere argumentum conueniat, quoniam eius thus tam quod caudice, quam quod ramis excerpitur, proximum & uisu, & odoratu, cum ardet, aduecto thuri percipitur. Sola hæc arbor omnē penitus cultum apta est aspernari: ac suauius quidē thus in Arabia nasci referunt, sed melius in uicinis insulis, in his enim & figurari in arbore posse, qua forma uolueris: & fortasse id quidem haud quicquam incredibile sit. Siquidem pro incisura facta, figura thuris sequatur necesse est. Quoddam adeò magna gleba consistit, ut mole sua manū implere, pondere uero plusquam tertiam partem minæ æquare possit. Thus omne iners aduehitur, & aspectu cortici simile est. Myrrhæ, aliud stillatitium, aliud fictitium constat. Probatior melior gustu, eiusq; norma concolorem accipiunt. De thure & myrrha hæc ferè ad hoc usq; tempus accepimus.

De cinamomo & casia: tum quid de cinamomo colligendo fabulentur.

Caput V

DE cinamomo & casia illa narrant: fruticem esse utrunq; non amplum, sed magnitudine amerinæ: uerum permultis, surculosisq; ramis constare. Cinamomum decerptū in quinas partes discerni, & esse præcipuæ bonitatis, quod germinibus proximum fuerit, idēq; ad palmi longitudinem cædi, aut paulò maius: secundū quod sequitur, quod etiam minus cæsura est: tertium deinde, & quartum notatur: ultimum uero, quod deterimum proximumq; radici: hoc enim minimum corticis habet, in quo summa gratia est, nō in ligno. Qua de causa præferri cacumina solent, quod corticis plurimum habeant. Quidam sic aiunt. Alij uero cinamomum fruticosum enarrant, eiusq; genera duo: alterum nigrum, alterum candidum. Fertur & fabula quædam. Conualibus enim exire id aiunt, in ijsq; serpentes plurimos cōuersari morsum hominibus mortiferum inferentes, aduersum quos incolas septis manibus pedibusq; descendere, atq; ita legere cinamomum, quod cum deportauerint, toto in ternas partes diuiso, quodq; ad solem forte illi cesserit, id solum relinquere, abeuntesq; flagrans sponte illud confestim cernere. Sed hoc planè fabula est. Casiam uero sarmento crassiori constare, neruosamq; admodum esse uolunt, nec ullo pacto posse decorticari, ac eius etiam corticem esse utilem. Cum itaque uirgas secant, longitudine binum digitorū, aut paulò ampliores abscindere, recentēq; bouis corio eas persuere, tum ex eo lignis putrescentibus uermiculos nasci, qui lignum erodant: corticem uero nullatenus tangant ob amaritudinem, acrimoniamq; odoris. De casia, cinamomq; hæc referunt.

De balsamo, quodq; non nisi uitiatum ad nos perferatur.

Caput VI



Balsamum in ualle Syriae prouenit. Eius arbuſta duo tantū affirmant, alterum uiginti iugerum, alterum multo minus. Arboris magnitudo, quæ malo punicæ magnæ: rami multi, folium rutæ ſimile, candidum tamen, perpetuò uiuens: fructus ſimilis terebintho tam magnitudine quàm colore. Is quoq; admodum odoratus eſt, & magis quàm lachryma. Colligi lachrymam in caudice, & parte ſuperna tradunt: facta inciſura unguibus ferreis, ſub ſydere, cum æſtus maxime angit: collectum uero æſtate fieri tota, ſed quod manat multum nō eſſe: uix enim in toto die concham poſſe impleri. Odo rem tamen inferri eximium & copioſum, adeò ut ex paruo ſpaciū perlongum odor ualeat permeare: uerum ſyncerum ad nos nullum aduehi, ſed quod miſtum colligitur: pluribus enim miſtionibus uitiari, quodq; Græciæ uenditur, ſæpe adulterari. Quin & uirgas eiſdem arboris odorem ſuauiſſimum præſtare affirmant. Et quidem eas quoq; amputari quotannis: partim ut reliqua ualentiora ſeruētur, partim ut emolumentum plus comparetur: uendi nanque uel eas magno precio poſſe. Quinetiam ad imbrem cultus eiſmodi cauſam referunt, quem crebrò incidere aſſeuerant: necnon & amputationem uirgarum cauſam nōnullam adiſciunt, ne magnæ arbores fiant: ſequi enim ex crebra tonſura, ut uirgæ tantummodo mittātur, nec intendi ad unum uires arboris poſſint. Sylueſtre baſamū nullum uſquam comperitum accepimus. Impleri ex maiori orto uafa ſemichœa duodecim aiūt, ex altero uero duo tantū: uendi ſyncerum argento ad drachmam, reliquum pro modo adulterationis. Et baſamum quidem præcipuam quandam in odore naturā protulit.

De calamo odorato, & iūco, & chalbano, comaco, cardamomo, amomo, quodq; hæc ferè ſint quibus utimur ad unguenta, caſia, cinamomum, cardamomum, nardus, nerum, baſamum, aſpalathus, ſtyrax, conſecratrix, narta, coſtus, liguſticum, crocum, myrrha, gladiolus, iuncus, calamus, ſanſucum, lotus, anethum. Item de Iride Illyrica.

Caput VII



Alamus uero & iuncus trans Libanum montem, inter ipſum Libanum, & alium quendam montem paruū ualle minima exeunt. Non ut quidā dixere inter Libanū atq; Antilibanum, inter quos campus ampliffimus, & pulcherrimus eſt, quem Aulonem appellāt. Qua uero calamus, & iuncus proueniūt, lacus in amplum ſpaciatur, iuxtaq; eum paluſtribus ſiccatis iſti aſſurgūt. Occupāt locum pluſquam triginta ſtadia. Virides nequaquam eſſe uidētur, ſed ſicci: forma uero nihil ab alijs differunt. Locum ingredientī protinus odor aſpirat, non tamen longius ſpirat, ut quidam referunt: hic enim locus à mari pluſ eſt, quàm ſtadia centū quinquaginta. Sed in Arabia ſpirationē agri odoratiſſimā eſſe inter omnes cōſtat. Quæ in Syria odore ſuperuacuoſa ſunt, hæc ferè notata habemus. Chalbanū enim grauius olet, & medicinæ potius conuenit. Id nanq; in Syria naſcitur ex Paco uocato. Cætera autē odorata, quorum in unguentis uſus, partim ex India Syris aduehūtur, ac inde mittūtur ad mare: partim ex Arabia deportantur, ut cinamomū & caſia: atq; etiā comacum: fructum hoc alium eſſe, quem unguētis permiscere ſumptuoſiſſimis ſolent. Cardamomum atq; amomum alijs ex Media, alijs ex India, cum nardo, & reliquis omnibus, aut plurimis aduehi narrāt. Quibus ad unguēta utuntur hæc ferè ſunt: Caſia, cinamomū, cardamomum, nardus, nerū, baſamū, aſpalathus, ſtyrax, conſecratrix, narta, coſtus, liguſticum, crocum, myrrha, gladiolus, iuncus, calamus, ſanſucū, lotus, anethū. Horum alia radices, alia cortices, alia rami, alia ligna, alia ſemina, alia lachrymæ, alia flores. Et quædam multis in locis proueniūt, quædam in Aſia tantū, & locis apricis, quæ ſcilicet ſuperuacua maxime atq; odoratiſſima ſunt, quippe cum in Europa nihil præter conſecraticem

secraticem inueneris, quæ optima apud Illyrios exit, nō tamen parte maritima, sed mediterranea, magisq; ad septentrionē sita. Verū loci à locis differunt, ita ut producere meliorē possint. Cultus nullus ei accommodatur, nisi quod ablaqueatam soleant resiccare: radiculæ enim quas Thracia fert, uidelicet, quæ odoris nardo similis est, & aliæ quædā paruam, exilemq; odoris gratiam habēt. Atq; de odoratis hæc tenus.

De succis, & quando, & quomodo fiat succatio, & radididum, necnon lactisuccatio, & liquatio.

Caput VIII

DE succis quæ superius non diximus, uidelicet si qui medici, aut alias quasdā uires sortiatur, nunc pari modo explicare conabimur, simulq; de radicibus differemus. Succorū enim nonnullos premi ex radicibus certū est, & seorsum ipsæ per se multas, atq; cōtrarias uires possident. Ad summam, de omnibus medicamentis, ceu fructu, succo, folio, radice, herba (nam herbas quoq; ex medicamētis quædā, herbarij nominant) uerba, quoad satis sit, faciemus. Radicum autē plures potentia, & ad plura sunt. Quarum autem medicæ potissimum, ut utilissima: differētes, & quod non ad eadem, & quod nō in eisdem uim habeāt. In uniuersum uero & in se habent, & in fructibus, & succis, nōnullæ & in folijs: foliorum quippe uires plurimas, herbas ferē herbarij (ut dictum est) uocant. Radicū lactuosarum succatio æstate semper ferē agitur, partim ineunte, partim prouecta: sed radididum quæquam etiā fieri per mellē tritici aliqua ex parte non negent, tamen large autumno post arcturū factitari affirmant, scilicet postquam folia defluerunt, & quorū fructus utilis sit prius, quàm fructum amiserint. Fieri autē lactisuccatio solet, aut ē caulibus, ut lactaria, & lactuca, & partis ferē maxima: aut ē radicibus, aut ē tertio capite, ut papaueris: huic enim soli peculiare id quoq; datur. Ergo quibusdam sponte succus consistit, spissaturq; lachrymæ modo, ut in hirci spina appellata: hanc enim cadere opus nequaquam est. At plurimorum succi per incisuram manent necesse est: quorum nōnullos statim in uasa colligūt, sicut lactaria, siue lactuca caprina: uocatur hoc enim etiam nomine. Atq; in totum, quibus lactis copia sit, quibus autē minus, lana eorum succus excipitur, ut lactuca. Quorūdam non lactisuccatio, sed uelut liquatio fieri solet, ut quæ urentes, aut torrentes, aquamq; infundentes exprimunt, atq; ita stillamentum accipiūt: Enimvero minus liquoris, idq; siccum hæc habēt. Est cæterarum quidem radicū liquamentum fructu infirmius, ac cicutæ ualidius, & obitum facile, breuiq; affert, etiam si exiguum admodum potui detur. Quin & ad alios usus efficacius idem est, thapsiæ quoq; ualidius. Reliqua autem omnia debiliora longe deprehenduntur. Succatio tot ferē modis fieri solet. Radididij uero differētia nulla eiusmodi redditur præterquam temporis ratione, ut æstate, aut autumno, & quod has aut illas succidi oporteat: exempli gratia: Ellebori imas, atq; tenuiores, supernā enim in caput extuberantem, inutilem asserūt, & canibus dandam cum puragidum est. Et in alijs uero quibusdam differētijs tales assignant.

Quid herbarij præcipiāt secādis, colligendisq; herbis: tum secando præcandū deos: quidq; in præcatione absurdū atq; in sectione adiectitium, ut de cauēda aquila, quod periculū secātibus imminat.

Caput IX

ADde quæ medicamētarij & herbarij partim forsitan recte, partim quō rem suam ostentent ac prædicent, adiungunt: præcipiunt enim alias uento auerso secare sicuti & alias quasdā & thapsiam, corpore oleo peruncto: nam si aduerso, corpus tumescere aiunt. Fructū quoq; caninae sentis, flatu auerso colligendum censent, alioqui periculum oculis imminere. Alias noctu accipere iubent, alias interdiu, nonnullas priusquam sol irradiet, ut quod uolucrum appellant. Et hæc quidem, hisq; similia, nō ab re dici

fortasse putaueris. Sunt enim quæ uires nocuas fortirentur, quemadmodum & ueratrum incendere, & ignis modo urere aiunt. Mox caput aggrauat, nec diu effodere illud possunt. Qua de causa priusquam fodere adorsi sint, allia comedere, & uinum subinde sorbere consueuerunt. At illa ueluti adiectitia, & è longinquo ducta appareant: castam enim, quam alij dulcisidam uocant, noctu effodiendam præcipiunt: nam si interdiu, & à pico martio uisus quispiam sit fructum quidem legēs, oculis periclitabitur, radicem autem secans sedem procidet. Febrifugiam quoque secantes accipitrem tritestigerum nuncupatum cauere, ut sine uulnere possint discedere, & alia huiuscemodi quibusdam alijs notant. Precari autem in secādo haud quicquam absurdum fortasse sit. Sed quæ addūt, absurda potius dixeris. Panacem enim æsculapieam cognominatam effodientes uarium genus frugum uicissim terræ iniicere aiunt, & placentas ueluti mercedem quandam exoluere, & ense bina adactō acie ter circumscribentes succidere: quodq; primum inciderint, sublime tenere: deinde alterum cædere, & eiusmodi alia complura enarrant. Mandragoram quoque ense ter circumscribere iubent: & alterum succidere ad occasum spectando, alterum circumsaltare, plurimaq; de re uenerea dicere, quod maledictis, & execrationibus sanè proximum est, quas fatui cumini necessarias putant. Quin & elleborum nigrum circumscribere spectando exortum, precandoq; cauereq; aquilam tam à dextra, quam à sinistra: periculum enim secantibus imminere aiunt: & si aquila propè aduolauerit, moriturum illo anno, qui succidit, augurium esse. Sed hæc planè adiectitia quædam uidentur, ut dictum est. Modus autem radicidij præter prædictos nullus alius datur.

De medicinis ellebori, panacis, tuberis terræ, cucumeris syluestris, trisaginis, caricæ siue piri, & aliorum quorundam.

Caput X



Vnt uero (ut retulimus) quorundam omnia commoda, & radix, & fructus, ut scamoniæ, & tuberis terræ, & thapsiæ, & aliorum quorundam. Nam & mādragoræ folium utile ad ulcera cum farina tradunt. Radicem ad erysipelas rasam & aceto subactam, & ad morbos podagricos, & ad somnum, atq; amores datur ex uino, aut aceto. Consecant eius quoque orbiculos sicuti radiculae, quos transfixos in fumo suspendunt. Elleborum ad hæc eadem non solum radice, sed etiam fructu utile est. Siquidem in Anticyra (ut fertur) fructu eius purgantur, quem sesamaceum fert. Panacis quoq; pleraq; assignantur commoda, nec omnia ad idem fructus, sed ad abortus, & distentiones, & eiusmodi genera dolorum, item ad aures, & uocis languorem. Radix ad partus, & mulierum profluvia, & ad iumentorum morbos, necnon ad irinum unguentum utilis, addit enim suauem olentiā, sed fructus radice ualidior est. Nascitur circa Syriam, secatur per messem tritici. Tuberis terræ radix ad exhalationes inflammationum ualet, & ad menstrua, & ad ulcera ex melle: succus ad caput purgandum illitus, & ad ebrietatem, si sparsum in uino potui des. Radix etiam ad partuum celeritatem appensa benefica est, & ad amores cum eam suffoderint, uino deinde subigunt, inq; pastillos digerunt, sicuti fecis uini, qua maculae absterguntur. Cucumeris syluestris radix uiriliginem, & scabiem pecudum tollit: semen uero liquidum, medicamen elaterium uocatum, id est agitatoriū facit. Legitur autumno, tunc enim optimum est. Trisaginis folia ad rupta & uulnera in oleo trita ualent, & ad depascentia ulcera: fructus bilem extrahit, & oculis quoq; beneficus est: folium ad albugines tritum in oleo prodest: habet hæc herba folia quercus, & statura uix palmum excedit, & odorata atq; suauis est, sed partes quidē omnes herbæ eiusdem minime ad idem utiles fore, haud quicquam absurdū fortasse appareat. Radicis uero eiusdem

eiusdem partem unam superius, alteram inferius purgare profectò mirabilius sit, ut thapsiæ, & caricæ, quam alij pirum appellant, & roris marini: idem tam inferius, quàm superius extrahere posse, ceu elaterium, nequaquam absolum dixeris. Habet thapsia folium fœniculo simile, latius tamen: caulem ferulaceum: radicem candidam. Carica siue pirus folio constat rutaceo breui, caulibus ternis, aut quaternis humi prostratis: radice, qua albucum, uerum squamosa. Legitur Vere. Id igitur prædictis datur peculiare.

Elleborum nigrum, & candidum esse: deq; eius ui, & natura.

Caput XI

Elleborus uero niger, & candidus, ueluti æquiuoce dici apparet, sed de facie uaria sententia est: alij enim similes esse aiunt, præterquam quod radices colore inter se differant: esse nanq; alterius candidam, alterius nigram: alij folium nigri laureum, candidi porraceum reddunt: radices autem similes, colore excepto. Qui similes dicunt, formam huiusmodi tradunt. Caulem modo propè albuci, sed longe breuiorem: folia continuo radice annexa, sparsaq; humi: radicem large multiplicè, quæ scilicet prætenues consent, atque utiles sint: nigrum equos, boues, fuesq; necare affirmant, & idcirco eum cauere: candido pecudes nimirum uesci. Atq; hinc primo uim deprehensam, cum illo pecudes purgarètur: tempestiuus autumno, Vere autem in tempestiuus. Verum Oetæ montis incolæ prope Pilæam eo tempore legunt: plurimus enim, optimusq; eo prouenit loco: non tamen ubique, sed parte una tantummodo Oetæ, quam pyram uocant: miscetur in potione, ut uomitio bene succedat elleborinæ semen: hæc herbula quædam est. Niger ubique nascitur: nam & in Bœotia, & Eubœa, & multis alijs locis: sed optimus Helicone, ac in totum is mons medicaminibus laudatur: at candidus locis paucissimis exit. Optimi uero & usitatissimi quatuor sunt, cætæus, ponticus, eleaticus, massalioticus: nasci eleaticum inter uites aiunt, & uinum usq; adeò reddere prouocans urinam, ut omnes qui bibunt graciles admodum uentre adducto efficiantur. Omnium tam eorum, quàm reliquorum optimus est cætæus. Parnasius uero & ætolicus, eo quoque in loco proueniunt, & quidē multi & emunt & uendunt ignari duritatis, summæq; difficultatis eorum. Hæc igitur quancquam forma conueniant, uires tamen proprias sortiuntur. Nigrum uero ab eo qui comperit, & primo succidit, melampodium quidā appellant, quo & domos lustrant, & pecora purgāt, quadam cum incantatione, atq; ad alia complura utuntur.

Panacis plura esse genera, uesciariarum uero duo: deq; lactariarum, & roris marini generibus, & medicinis eorum.

Caput XII

Panacis quoq; & lactariæ, & aliorum quorundam genus multiplex redditur. Panacem enim appellant primam, quæ in Syria nascitur, de qua paulò ante retulimus: secundam chironiam, tertiam æsculapiæam, quartam herculanam. Chironia folium habet simile rumici, florem auri specie, radicem longam. Amat loca pinguiâ: utuntur ea aduersus uiperas & phalangias, & tineas uestium, & cætera reptilia data ex uino, & uncta oleo: uiperæ autē morsui aspergitur ex acido uino, & potui datur: ualere aiunt & ad ulcera ex uino, & oleo, & ad nascētia ex melle. Aesculapieum radice constat magnitudine palmi, candida & crassa uehementer, cortice crasso & falso, caule geniculato undiq; folio thapsiæ simili, sed crassiori: ualere aiunt aduersus serpentes, si bibatur erasum, & ad lienem, cum sanguis circa eam cōstiterit ex mulso, & capiti tritum ex oleo, & unctum, & si qua alia parte obscura laboret quis, & uentris

doloribus ex uino rasum: posse etiam & longas ægritudines depellere. Insuper & ulcerosis humidis quidem siccum aspersum, prælotumque uino calido; siccis autem ex uino subactum, & aspersum. Herculana uero constat folio magno, & amplo, ut quoquouersus tres palmos perficiat, radice crassitudine propè digiti, bifida, aut trifida, gustu subamara, odoratu syncerum thus redolente, utili contra morbum comitiale pota, coagulo uituli marini admisto, ad quartam partem: & contra tormina è uino dulci: commoda etiam ad uulnera sicca, ex melle ad madida. Igitur hæc differentias illas fortiuntur. Sunt autem uel aliæ quædam panaces, una folio tenui, altera non tenui, sed uires hisce ambabus eadem ad mulierum profluvia, & ulcera tam cetera, quam putria, & pascentia. Quin & uesicarias, atque lactarias nominis tantum 10 confortes uidere licet. Vesicariarum enim genera duo: alterum somnificum radice rubra, sanguinis modo, sed candida cum siccescit, fructu rubriore, grano iligneo, folio lactariæ simili, aut malo dulci, sed piloso: huius corticem radicis tundentes admodum, & in uino meraculo madefacientes dant, atque ita dormire faciunt: nascitur rupibus, & faucibus, atque sepulchris. Alterum genus insanire facit, id alij bryorem uocant, alij perissum: constat radice candida, & longa ad cubitum, atque caua. Dabitur eius radicis drachmæ pondus, si ut quis ludat, seque pulcherrimum putet, placuerit. At si magis insaniat uis, drachmis duabus opus est: sin autem nunquam insaniam solui malueris, tres dabis: & quatuor, si interimendum sit. Habet folium erucæ proximum, maius tamen: caulem longitudine ferè quatuor cubitorum: caput gethyi, sed ma- 20 ius, atque pilosius: nec fructui plantani ab simile constat. Lactariarum, quod maritimum granum appellant, folio est rotundo, caule, totaque magnitudine ad palmum, fructu candido: demetitur cum uua nigrescere incipit, & siccatus fructus tritus potui datur acetabuli tertia parte: mascula autem uocitata, oleæ folio constat, & magnitudine cubitum æquat: huius lac cum uindemia incipit, exprimunt, & præparato utuntur: purgat inferius. Myrtaria uero cognominata candida, lactaria est, folijs myrti condita, uerum aculeatis parte postrema, sarmetula in terram demittens longitudine palmi, quæ non simul, sed alternatis annis fructificant, alia hoc anno, alia postero, quanquam omnia eadem radice exorta: loca montuosa desiderat: fructus nux appellatur, demetitur cum ordeum turgescit, & exiccatus, purgatusque datur 30 elotus cum papaueris nigri duabus partibus, ita ut totum modo acetabuli sit. Trahit pituitam per aluum: at uero si nucem ipsam placeat dare, trita dabitur ex uino dulci, aut cum sesama tosta, torrefactaque comedenda. Ergo hæc folijs, succis, fructibus utilia constant. Roris autem marini genera duo, alterum sterile, alterum fertile: & alterum tam fructu, quam folio utile, alterum tantum radice: fructus canchris uocatur. Habet id fructiferum genus folium palustri apio simile, sed multo maius: caulem ad magnitudinem cubiti, aut maiorem: radicem magnam, crassam, candidam, & ueluti thus redolentem, fructum candidum, scabrum, oblongum: nascitur potissimum solo squalido, atque saxoso: radix medicamento ulcerum utilis, & mensibus pota in uino 40 nigro austero: fructus ad urinæ stillicidia, & aures, & argemam, & ad oculorum morbum, lippitudinem nuncupatum, & lactis ubertatem mulieribus facit: sterile illud folio lactucæ amaræ constat, sed scabriore, candidiorique: radice breui: nascitur id quoque prædicto solo uberrime: radix partim superius, partim inferius purgat: quod enim germen uersus consistit, superius purgat: quod terram uersus, inferius. Prohibet & uentibus interposita uermiculos noxios. Colligitur per messem tritici.

Vernilaginum, & papaueris genera. Tum radicum differētiās unde liceat accipere. De nymphæa, scythica, & malo terræ: quoq; Pandius statuarius mente alienatus sit. Item de Thraciæ radicibus.

Caput XIII



Ernilaginum una candida, altera nigra: uires radicum inter se distant, & ipsæ radices specie differunt, candida enim crassa, & grauius olens, utilis traditur ad alui profluuiā, cum cōsecta orbiculatim modo radicis decocta est, iūco transfixa in seriem: ualet & ad interaneorū animalia lata: cum passa uua comesa acerabuli mensura ē uino bibitur austero: occidit & canes, & sues: canes in farina ordeacea subacta cum aqua, & oleo: sues cum brassica. Et si hominem ægrescentem experiri uolueris an uiuere possit, lauandum ea radice triduo iubent. Hoc enim si tolerauerit, moriturū nequaquam existimant. Nascitur æque omnibus locis, folio cardui, uerum ampliori, & terræ proximo, capite magno acano simili, unde quidam acanum eam uocant. Nigra folio constat modo cardui, præterquam quod minori, leuiori q̄. Tota autem herba umbraculi speciem repræsentat, radice crassa & nigra extrinsecus, subflaua intrinsecus nititur, loca gelida, humida q̄ amat. Leporam & uiriliginem trita in aceto, & ramētis illita expellit: nec non & canes occidere potest. Papaueris quoq; syluestris genera plura notantur: quoddam enim cornicularium appellatū, quoddam autē nigrum est, folio constans uerbasci nigri, sed minus nigro: cauli altitudo cubitalis, radix breuis, per summa q̄ cespitum: fructus inflexi, ut cornicula figurantur: legitur circa melle, & aluum purgare potest: folium albuginem ouibus aufert: nascitur iuxta mare locis saxosis. Aliud erraticum uocatum non absimile intubo erratico constat: quamobrem in usum uenit cibarium: nascitur in aruis, potissimum inter ordeā: florem rufum producit: caput unguis pollicalis magnitudine auget: legitur ante ordeā melle, atq; uiridius etiam purgat inferius. Aliud herculanum nuncupatum, folio constat struthi, quo splendorem linteis tribuunt: radice in summa terræ eunte: fructu albo: huius radix purgare superius nata est. Non desunt qui contra comitalem morbum ea utuntur in uino mulso. Hæc igitur ueluti æqui uoca quædā subiungere placuit. Radicū autē differētiās, tum succis, tū odoribus accipere licet. Sūt enim aliæ acres, aliæ amaræ, aliæ dulces, & aliæ suauis olentiæ, aliæ grauis. Dulcis nymphææ uocata, quæ nasci in lacustribus solet, ut in Orcomeniensi agro, & Marathone, & in Creta insula. Bœoti Madonaim hanc appellāt, fructum q̄ mandūt: gerit folia super aquam ampla: plagæ trita imposita sanguinē sistere traditur: utilis & ad difficultates intestinorū pota. Dulcis & scythica, & quidē nonnulli dulcē eam appellāt: nascitur apud Mæotim: utilis ad anhelitus & ad tussim siccam, atq; in totū thoracis laborātis medicamento commoda redditur: ad hæc mederi ulceribus potest in melle: sitim quoq; extinguit, si teneat in ore. Qua de causa, tum ea, tū equestri uocata, Scythas undecim, & duodecim dies, sitim tolerare affirmāt. Mālum terræ olfactu odoratū, gustatu uehemēter amarum est: colore nigrū: nascitur mōtibus optimum quodq; folio constat muris auriculæ simili, tamen rotūdiore: perutile ad caput, & reliqua ulcera, & ad serpētes, & ad somnū, & ad alia multa: ulceribus capitis adhibere præcipiunt in aqua subactum, reliquis rasum in melle & oleo: contra ictus serpētium ex uino acido bibi debet, atq; inspergi morsui: ad somnū in uino nigro austero pertritū datur. Si uiuua prociderit decocto abluisse iuuabit. Dulces igitur illæ, amaræ autem aliæ, & grauis aliæ gustatus. Quædā ex dulcibus mentis alienādæ uim sortiūtur, ut quæ carduo similis apud Tegeam gignit, quam cū Pandius statuarū artifex in templo, suo fungens officio comedisset, mente alienatus est. Quædam item mortiferæ deprehensæ sunt, ut quæ apud Thraciæ metalla comperiūtur, gustu faciles, iucundæ q̄ admodū. Coloris quoq; discrimine radices large inter sese differūt: nec solum albæ, & nigra, & flauæ, sunt etiā ceruleæ, & rubra, ut rubiæ radix.

De quinquefolia siue quinquepetā : necnon de rubia, fidicula : quæq; & quot annos seruetur illæ.
Elaterium medicamentorum omnium diuturnissimum . Quo modo radices deteriores fiant.

Caput XIII



Quinquefolia, siue quinquepetā (nā hoc etiā nomine appellatur) cum effoditur, rubra est, inarescens uero nigrescit atq; quadratur: habet foliū uitis, sed pusillū, & colore simile uitigineo est, & augetur, & desinit cum uite: folia omnia quinque, unde & nomen: caules prætenues mittit, & crebris internodijs cōstat. Rubia folio edera, rotundiori tamen consistit: nascitur humi: caulis modo graminis: loca amat umbrosa, cit urinam, quæ de causa ad lumborū, & coxæ dolores ea utitur: nō desunt quæ forma quadā peculiari spectentur, ut nepæ uocata radix atq; fidicula: altera enim speciem scorpionis repræsentat, & utilis ad eius ictum, & ad alia quædā habet: fidicula uero hirsuta, & acetabulis cauernosa, ceu polyporū cirri: purgare inferius apta est: ubi quis eā contigerit, polypum innasci affirmant: foliū filicis magnæ proximū est: nascitur in petris. Publica uero radicū omnium, quod alia plus, alia minus tēporis durēt. Elleborus enī uel annis triginta utilis est. Mālum terræ, quinque aut sex. Vermilago nigra quadraginta. Fel terræ decē uel duodecim: pinguis hæc, spissaq; admodū est. Peucedanum quinque aut sex. Vitis syluestris anno, si in umbra, & sine ictu reseruet, alioquin putrescit, & inanis, fungosaq; redditur. Et alijs alia tēpora tribuuntur. Sed omnium medicamentorū diuturnissimū elateriū est, opportunumq; quod uetustissimū. Itaq; medicus quidā, uir haud insolēs neq; mēdax, elaterium ducentorū annorū uirtute mirabili seruare apud se retulit: eo à quodam munere donatus. Causa quamobrē tam longo seruari tēpore possit, humoris copia est, ea de causa uel cum præciderint in cinere humidū ponūt, & tamen ne ita quidē sicari potest, sed usq; quinquagesimum annū lucernis admotū lumen extinguit. Hæc igitur uis peculiaris isti tribuitur. Radices autē quæ aliquā dulcedinē habēt, ubi diu manserūt, uermiculis eroduntur: quæ uero acerbæ, acres ue sunt, id nō sentiūt: uerū rarefactæ, exinanitæq; uiribus, tandē hebetantur. E bestiolis externis nulla radicem aliquā tangit excepta sphondila, quæ nullā intactā relinquit. Hoc ergo naturæ animalis istius propriū deputandū sit. Radicem autē unamquæq; fore deteriorē, si fructū perfici, crassescereq; reliqueris, manifestū est: quod idem uel de fructu asserere licet, si radicis succū detraxeris. Sed magna tamen ex parte radicis medicæ succus nunq; extrahit. Cuius uero semen usum medicaminis præstat, huius succum accipi operæ precium est. Vti radicibus potius iuuent, quoniā fructus fortior sit, q̄ ut corpus ualeat tolerare: sed hoc in uniuersum haudquaquam uerū esse apparet. Anticyrenses enim fructum sesamacei ellebori dare solent, qui sesamæ similis est.

Quæ loca medicamentis fertilia sint, ut Etruria, & latinus ager, ubi Circe. Item carmina Homeri quibus ostēdit Aegyptū uenenorū feracem. Quæ loca Græciæ medicis scatere herbis maxime omnium constēt. Quādo lac sorbere utile. Tum de moly, cicuta, hircispina, pastinaca. Caput XV



Tractus medicamentorū fertiles potissimo tradūt, extra Græciā, Etruriam, & latinum agrum, qua Circen habitasse affirmāt: atq; etiā magis Aegyptum autore Homero: hic enim Helenā inde accepisse inquit. Prospera quæ quondam Thonis dulcissima coniux, Aegypti Polydamna dedit, qua plurima gignit,

Noxia terra ferax, & multa probata uenena.

Inter quæ uel illud medicamen lucius, & mœroris esse autumnāt, omnium ita ut malorum obliuionem, atq; indolentiā facere possit: & hi quidē tractus proditi à poetis ferē solis uidentur. Aeschylus enim in elegis, copiam medicaminum, uenenorumq; Etruriæ tribuit. Gens Tyrrena suis clara ueneficijs. Quæq; autē loca nō nihil medicaminum possidere uidentur, sed differunt, quod alia plus habēt, alia minus: etenim quæ

quæ ad septentrionē, meridiem, exortumq; pertinet, mirabiles vires fortiuntur: nam in Aethiopia, qua sagittas ungūt, radix mortifera est. Apud autē Scythas nō solum ea radix, sed etiā aliæ plures comperiuntur, quarum aliæ cōfestim eo interimunt tempore, quo gustatæ sint, aliæ post. Et harum aliæ celerius, aliæ tardius, ita ut nōnullos tunc quadam paulatina possint cōsumere. Apud Indos uel alia plura proueniūt genera: sed superuacuū, si uere narratur, quod sanguinē diffundere, & quasi fugare potest, quodq; ē diuerso eundē colligit & ad se trahit, quæ cōtra mortiferos serpentium morsus cōperta referūt. Quin & regio Thracum pleraq; fert, sed validissimam ferē illam herbā, quæ sanguinē sistit: hanc enim alij puncta uena, alij etiā uehementius secta retinere, ac penitus prohibere sanguinis profusionē affirmāt. Hæc igitur quod cōmune omnium diximus, satis demonstrare uidetur. Locorum autē omnium Græciæ, maxime Pelium mons Thessaliæ, & Telethrium mons Eubœæ, & Parnassus medicamina ferūt, item Arcadia & Laconia tellus, nam eas quoq; herbis scatere medicis cōstat. Et quidē Arcades pro medicamēto quod aluum purget, lac sorbere consueuerūt in Vere, cum succi huiusmodi foliorū maxime uigent. Tunc enim potissimo lac uim medicaminis habet. Bibunt bubulū, quod bos inter animalia omnia permulta pascere, uarioq; herbarū genere uesci uidetur. Nascitur apud eos uterq; elleborus, uidelicet & albus, & niger: item pastinaca specie lauri, colore croci, & eam, quam illi brasocam syluestre appellāt, medici autē quidam ceran: & quam illi maluam syluestre uocant, medici hibiscum: & mālum terræ, & seseli, & equapiū, & peucedanum, & herculana, & utrunq; uesicariæ genus, quod fructū puniceū fert, & quod nigrū oritur: & syluestris cucumis, ex quo componi elateriū solet. Ad hæc lactaria ex qua hippophaës, quod optimum confici apud Tegeam nouimus, maximeq; haberi in precio. Nascitur circa Clitoriā panacea, & petræa circa Psophidem plurima, & optima prouenit. Moly apud Pheneum exit, atq; apud Cyllenam esse (quemadmodum Homerus dixit) affirmāt: radice rotunda, nō absimili cepæ: folio scilla: usum eius contra ueneficia summa, nō tamen effodi difficulter, ut ait Homerus. Cicuta optima circa Susam, & in totum locis prægelidis. Quin & in Laconico agro bona pars prædictorū exit: nam is quoq; medicaminibus scatet. Hircispina large in Arcadia nascitur, nec deterior Cretica existimatur, sed etiā uisu pulchrior. Et pastinaca in Patrensi agro præstantior cæteris: huic uis calefactoria est, radix nigra. Neenon & in Parnaso multa ex his proueniūt, & in Telethrio monte. Sed hæc pluribus locis dantur communia.

Dictamum Cretæ propriū, uiq; mirabile, & ad plura utile: omnia etiā quæ se minus à terra attollūt præstantiora esse, quæ Creta ferat: ubi optimū aconitum, & quo modo cōficiatur ad nocendum, nullumq; contra compertum remedium.

Caput XVI

Dictamum Cretæ insulæ propriū est, uirabile, & ad plura perutile. Sed ad partus mulierū potissimū pollet: folio glechoni simile constat, nec sapore absimile est: ramulis tenuioribus cōditur: usus foliorū, non ramorum, nec fructus est: ualent ad multa, sed præcipue ad difficiles partus mulierū, ut dictum est. Aut enim facile posse parere faciūt, aut certe dolores penitus sedant. Dantur bibēda ex aqua. Rara hæc herba, locus enim qui fert, exiguus admodū est, eumq; capræ depascūt capessendæ causa uoluptatis. Verum etiā quod de telis fertur, affirmant. Capras enim sagitta transfixas, dictamo deuorato telū eijcere. Dictamū tale est, viresq; eiusmodi possidet. Falsum dictamū, folio quidē simile cōstat, sed ramulis minus, & uiribus longe inferius. Quancq; enim eisdē in rebus profit, tamen multo deterius atq; debilius. Vis dictami in ore percipi continuo potest: excalescit enī ex paulo uehementer: manipulos in ferula, aut canna intercludere solēt, ne expiret: imbecillius enim cū expirauerit. Nō desunt qui naturam dictami & falsi dictami, eandē esse existimēt. Sed quod locis latioribus exeat

degenerare, falsumque cognominari, sicuti etiam alijs pluribus euenit, ut uiribus deterioribus ex loco reddatur. Dictamum enim solum asperum uehementer amare inquit. Est etiam aliud dictamum ueluti æquiuoce appellatum, nec enim speciem nec uim habet eandem, quippe quod folio simili lilymbrio constet, & ramis condatur maioribus. Vfus item & uis non eisdem conueniunt. Hoc igitur (ut dictum est) mirum, simulque proprium Cretæ insulæ datur. Quidam omnino in herbarum & fruticum genere, & ad summa inter omnia quæ se à terra minus attollunt, præstantiora, quæ Creta ferat, affirmat. Inter reliqua uero magna quidam ex parte quæ in Parnaso monte proueniunt, anteponunt. Aconitum nascitur in Creta atque Zacyntho, sed plurimum, optimumque in Heraclia Pontica: constat id folio intubaceo, radice tum specie tum colore nuci proxima: uim illam mortiferam in hac esse, folium & fructum nihil nocere affirmat, fructus herbarum est, non humilis materia: herba ea breuis est, & nihil superuacui habens, sed frumeto similis: semen non spiceum: nascitur ubique, & non in Aconis solum, à quibus habet appellationem (is autem uicus est Perindinorum) amat autem loca potissimum saxosa: pascitur eo neque pecus, neque ullum animal: confici ad officium modo quodam enarrant, nec nosse quoniam: quamobrem medicos quoniam componere nesciant, pro putrefactorio uti, alijsque quibusdam de causis epotum nihil penitus posse officere, neque ex uino, neque ex mulso. Componi autem ita ferunt, ut certis occidere temporibus possit, uidelicet bimestri, trimestri, semestri, anno completo, nonnullum etiam biennio: pessime illos de uita discedere uolunt, qui plurimum temporis resistere possint: paulatim enim tabescat corpus, & languore pereat diuturno esse necesse: facillime illos, qui confestim obeunt. Remedium nusquam esse compertum, sed falso dici quoddam aliud resistens illi haberi. Non enim herba, sed melle & mero, & quibusdam eiusmodi seruari aliquos potuisse: atque id raro factum, summaque difficultate. Aliud quoque uenenum uim diurnariam enecandi sortiens compertum affirmat: esse namque radiculam quandam, quæ eodem die possit occidere: folium hanc habere ellebori, notamque omnibus esse, & quidam famulos iratos hac uti solere, deinde mederi in hoc ueniens, neque enim celerem facere interitum, aut leuem, sed difficile & tardum, nisi forte quod facile curatu, confectumque sit, ut oportet: aiunt igitur, & confestim interiri, & aliquo post tempore: nonnullos & ad annum peruenire, & cum sumitur, facile iuari: hæc autem diligentius seruari apud Tyrrhenos in Heraclia, neque id absurdum si modo quoddam iuari possit, alio autem minime: quemadmodum & alia ex letalibus. Aconitum uero (ut dictum est) inutile ijs qui præparare ignorent, nec licitum possidere, sed capitali poenam institutam. Temporis differentiã pro collectus ratione sequi autumant, mortes collectuum temporibus compares euenire.

Thrasiam Mantinensem quoddam comperisse uenenum, quo sine dolore inferre obitum posset: quodque Alexias eius discipulus fuerit non indoctior. Item quo modo Chij cicutam præparent, ut celeriter enecet.

Caput XVII



Thrasias Mantinensis tale se comperisse aiebat, ut facile & absque ullo dolore inferre obitum posset. Nec alio quam succo cicutæ, & papaueris, & aliorum eiusmodi. Idque admodum contractum, exiguumque, uidelicet ad drachmæ pondus, & irremediabile penitus, & tam ualidum, ut quantumuis temporis perdurare posset, nec quicquam sentiret immutationis. Sed sumendam is cicutam censebat non unde libuerit, sed ex Sufis, & si qua alia loca prægelida, & opaca constent. Nec secus de reliquis quæ debeant addi, censebat. Quin & alia multa, & ex multis is componenda excogitauit. Alexias quoque eius discipulus ingenij plurimum ualuit acrimonia, nec infra illum bonis artibus fuit instructus: nam & reliquas medicinae partes, quas ille non tenuit, is egregie consecutus est. Hæc igitur comperta hoc nostræ ætatis tempore amplius, quam superiori & prisco uidentur. Sedenim uti hoc, an illo modo, plurimum referre omnibus manifestum profecto ex multis est. Nam & Chij non in hunc modum ante cicutam utebantur, sed trita, ut scilicet uti ceteri solebant.

bant. At nunc terere nemo uelit, sed detractio tegmine (id enim rem difficilē facit, quoniā confici cōtumax sit) pistam subinde in mortario tundūt, & pratenui cribro transmissam aqua inspersam bibūt, atq; ita obitus celer, facilisq; occurrit.

Consuetudine uenenorū uires fieri debiliores & inertes, atq; ita quibusdā non nocere potuisse elleborum. Quo remedio usus fuerit Eudemus post uiginti duas portiones ellebori: deq; mira ui pumicis, ac quantum ualeat cōsuetudo, quod & absinthiū depastum ostēdit. Caput XVIII



Mnium uero medicaminum uires debiliores in assuetis porrò deprehendūtur, in nōnullis etiā omnino inertes. Quidā enim tantū ellebori esitantes, ut manipulos totos cōsumant, nihil afficiūtur. Quod etiam Thrasyas sapius fecit, qui radicum peritissimus habitus est. Faciūt hoc idem pastores nonnulli. Itaq; cum ad medicaminū uenditorē, de quo admiratio omnes teneret, quod radicē unā aut duas mādere posset, pastor quidā uenisset, absumpsissetq; integrū manipulū, fecit ut nunq; amplius ille pharmacopola laudaret. Idēq; singulis diebus, non tantū illū, sed etiā alios plerosq; facere dicebatur: fit enim, ut pleraq; ex medicamētis, propter hominis cōsuetudinē, uim suā amittāt, nec amplius medicamina esse possint. Cū enim ab natura acceptātur, deuincūtur, cōficiunt, nō amplius poni inter medicamina debēt, ut & Thrasyas dicere solebat. Naturas enim singulatim ille discernēs, idem alijs medicamen, alijs nō medicamen esse aiebat. Enim uero rationē haberi penitus oportere putabat. Et quidē plurimū ad id iudicādū uir ille ualebat. Verū unā cum natura etiā cōsuetudinē posse aliqd efficere cōstat. Quamobrem Eudemus medicamētarius hac in arte facile princeps, cum se nihil affectū iri pepigisset, quiddā admodū mediocre ante solis occasum deuorauit, quod neq; cōtinere, neq; deuincere potuit. At uero Chius Eudemus arte minime laudatus elleborū bibēs, nō purgabatur, & uigintiduas aliquādo portiones uno die sumpsisse se retulit, fori apud uasa sedētem, nec surrexisse priusq; esset meridies, tunc uero domo petita, balneas ingressum, cōnatūq; more solito, nec quicq; euomuisse. Hic tamen auxiliō quodā pręparato cohibuit: aceto enim acrispersam pumicem bibisse se retulit post septimā ellebori portione, rursusq; ex mero eodem modo egisse. Pumicis autē uim magnā adeo esse, ut si in urceū bullientē eam inieceris, seruorē extinguas non solū parte aliqua tēporis, sed etiā ex toto: pumicem enim exiccare uehementissime, atq; ad se spumā totā recipere uoluit, idēq; extinguedi causam esse. Hic ergo largitatē potus, tali retinere iuuamine potuit. Quod autē consuetudo plurimū ualet, multis sanē rationibus constat. Nam & absinthiū pecora huius tractus pascere quidam negant. Pontica autē nimirū pascunt, ut pinguiora atq; pulchriora reddātur, & ut quidā uolūt, sine felle. Sed hæc nō ad præsentiē disputationē, sed ad aliā quandam spectare potius iudico. Radices uero & uniuersum genus materiæ humilis, permultis ac uarijs uiribus (ut dictū est) natura condiderat, nec solum ad corpora inanimata, sed & ad animata.

De spina quæ aquā congelet iniecta: deq; hibisco & telyphono, & ui eius. Item de testiculo, & quibus herbis magis coire quis ualeat, quibus nil penitus: necnon quæ ad marem procreandū, quæ ad feminā ualere tradantur, atq; ideo alterā marificam, fœminificam alterā appellatam. Quo item semen prolificū, quo infœcundū reddatur: tum de herbis uolucro & mula. Caput XIX



Pinam enim quandā enarrāt, quæ aquam iniecta cōgelet. Et radicem hibisci posse addensare aiūt, si tritam inieceris, sub diuoq; humorē posueris. Constat hibiscum folio maluæ, maiori tamen, pilosioriq; caule molli: flore mellino: fructu maluæ, caulibus proxima. Vsus eius ad rupta, & tusses ē uino dulci, & ad ulcera in oleo. Aliam si carnibus concoquas in idē aggregare, ac ueluti conglutinare posse affirmāt, aliās uim attractoriā possidere, modo magnetis lapidis atq; succini. Hæc in inanimibus. Thelyphonū ue

ro, quod alij scorpionē appellant, quia radicē scorpioni similē habet, admotum scor-
pionem occidere tradūt, & eum reuiuiscere posse, si elleboro cādido linatur. Enecat
idem & boues, & oues, & iumēta, & ad summā omnes quadrupedes. Eodem die,
si genitalibus uel radícula imponatur, proficit potū contra scorpionum ictus: habet
folium tuberis terræ: radicem (ut dictū est) similem scorpioni: nascitur graminis mo-
do, & geniculis cōstat: loca amat umbrosa. Quod si uera sint, quæ de scorpione nar-
rantur, iam & reliqua eiusmodi haudquaquē incredibilia dici debeant: nec fabulosa
quæ attribuuntur plantarum uiribus brute componi uideātur. Humanis uero cor-
poribus ultra illa, quæ sanitatem, morbos, mortemq; spectent, alia quoque herbas
afferre suis uiribus posse affirmant, utputa, generandi seminis facultatem atq; ste-
rilitatem: & quasdā ex eodē facere utrūq; ualere, sicut qui testiculus appellatus est.
Cum enim gemini sint, alter magnus, alter autē paruus, magnū efficacē ad coitum
datum ē lacie caprino tradūt, minorem uero obesse ac inhibere: habet folium lase-
ris, uerum leuius atq; minus: caulem similimū spinæ, quam pirum uocant: mirum
ergo (ut dictum est) ab una eademq; natura, diuersitatem tantā uirium proficisci.
Nam uim eiusmodi esse duplicem, absurdum putari minime debet. Tum enim alij
quidam, tum Aristophilus pharmacopola plataicus, uires quasdā compertas se ha-
bere dicebat, partim ut quis magis coire ualeat, partim ut nihil penitus ualeat. Id
quoque prorogare plus, minus uē temporis posse, ceu bimensē, aut trimensē, qua
quidem herba uel ad temperandos, castigandosq; adulescētes aliquādo uti aiebat.
Quædam ad procreandū marem, aut foeminā ualere traduntur: quamobrem her-
bam quandā marificam, & aliam foeminificam uocant, ambæ inter se similes, & o-
mi speciem gerētes: fructus foeminificæ modo musci oleaginei, uerum pallidior: ma-
rificæ uero, sicut oliua cum primum ex musco emergit, geminus, modo testiculi ho-
minis. Ne semen foeticum sit, fructū ederæ candidæ facere aiunt: contrā ut prolifi-
cum sit, fructū cratei ex aqua notāt: nascitur id lini modo ruffum, & fructum tanq;
milium fert. Gignere nequaquē posse putatur, & qui semen uolucris collectū modo
sextarij triginta assidue diebus portionibus æquis biberit ex uino albo. Sic enim pe-
nitus sterilefcere hominē aiunt. Foliū herbæ mulæ uocatæ sterilitatē mulieribus fa-
cere uolunt, & aliquid unguæ, ac seminis muli animalis miscendū præcipiunt: con-
stat hæc folio linguæ ceruinæ appellatæ, radice numerosa & tenui, montanas pla-
nities, & saxosas amat: mulas hac herba plurimum delectari affirmāt. Vfus eius uel
ad lienes, quemadmodum uolucris.

*De filice foemina, & quid distet à mascula. De herba ab Indo quodam allata, qua, qui usi fuerint, se-
ptuagies coire ualeant: tum quæ aquæ sterilitatem, quæ foecunditatem afferant, insaniam uē: deq;
mira natura uini regionum quarundam.*

Caput XX

Filix foemina utilis cōtra interaneorum animalia lata melle subacta: &
cōtra tenuia in uino dulci cum farina ordeacea data: si mulieribus gra-
uidis detur, abortum facere: si cæteris, steriles in totum reddere aiunt.
Differt foemina filix à mascula, quod foliū unico artu porrectum hæc
habeat, & radicem crassam, & lōgam, & nigram. Harum igitur uires
sterilitati addixisse natura putatur. Ad rem autē ueneream mirum in modū herba
pollebat, quam Indus attulerat. Non enim solum edentibus, sed etiam tangētibus
tantū genitalibus uim dixere uehementem ad eō fieri, ut quoties uellent coire ua-
lerent. Et quidem qui usi fuerūt, duodecies egisse dixerunt. Indum autē ipsum, qui
uel magno, atq; robusto corpore erat, septuagesies aliquando coiuisse fatentē licuit
audire: uerū emissionem seminis guttatim fuisse, demumq; in sanguinē deuenisse.
Mulieris uero uehementer etiā citari libidinē, cum eo medicamine usæ fuerint, dice-
batur. Hæc igit uis, si uere narrat, mirifice omnes excedit naturas: tamen quasdam
constare quæ citationes ad coitum facerēt, haudquaquē inepte putaueris. Nam & in
alimentiis

alimentis ipsis tam siccis q̄ humidis uires eiusmodi, atq; etiam aliarum plerarunq; affectionū efficaces manifeste sentimus. Aquam enim nonnusq; esse, quæ prolem mulieribus largiatur, affirmant: ut apud Thespias. Contrā aliam apud Pyram esse, quæ sterilitatem eisdem inferre possit. Causam enim sterilitatis mulierum loci illius talem medici reddiderunt. Apud Heracliam Arcadiæ, uinum, ut ferunt, fit, quod potū uiros insanos agit, mulieres steriles reddit. Achaia apud Cabyriam maxime, uitis quoddam genus habetur, cuius uinū abortum facit. Et ubi canes uuam comederint, eas quoq; abortu periclitari necesse est. In gustu nec uua sensum aliū, q̄ cætera uua facit, nec uinum à cæteris uinis distare percipitur. In Trœzenensi agro uinum sterile, qui biberint, facit: apud Thasum uinū somnificū arte quadā cōficitur, & aliud quod potū uigilātissimos facit. Sed eiusmodi uires ad corpus spectare, inq; generibus corporeis percipi manifestum est.

De herbis quæ ad animum, & mores faciant, ut uesicaria, œnothera, polio, antirrhizo, flore aurelia: quodq; homines hæc commenti fuerint, suas artes magnificare & celebrare cupientes.

Caput XXI



Nimo uero uesicariam adnotant. Hanc enim ueluti dimouere, alienareq; mentem affirmant, ut superius comprehensum est. Contrā radix œnotheræ data è uino, mitiores, hilarioresq; mores reddit. Constat œnothera folio amygdalæ, uerum maiori: flore rosaceo: loca adamat montuosa. Id tamen absurdum nequaq; appareat: fit enim quasi recreatio quædam ex uiribus, quas radix ista uinaceas possidet: sed potius absurda illa putentur, quæ alligata, & ueneficiorū aduersantia uocitatur, & tū corporibus, tum domibus unice opitulari creduntur. Adde polium, quod Hesiodo & Musæo autoribus ad omnē rem seriam, magniq; faciendā perutile prædicatur. Quamobrē id noctu effodiūt tabernaculo structo, & ad famam, existimationemq; bonā nō minus, quinimò magis ualere putatū est. Necnon & antirrhizum appellatū utilem ad gloriam tradidere: hic lappæ similis est, radice minima, & ferè nulla subnititur: fructum tanquam nares uitulæ parit. Hoc perunctos gratiā, uitæq; gloriā consequi creditur. Quinetiā qui aureliæ flore coronatur, unguento ex auro ignis experte insperfo, gloriam atq; existimationē bonā consequitur. Habet aurelia florē auro similem, folium candidū, fructū tenuem, durumq;: radicē per summa cespitiū, atq; tenuē. Vsus eius ad serpentiū morsus è uino. Valet etiā ad ambusta, cremata, & mista melli. Sed hæc (ut superius dictū est) commenta hominū esse planè uidetur, qui suas artes magnificare, celebrareq; cuperent. Nos reliquorū naturas, uiresq; persequemur.

De pipere & eius generibus, & grano gnidio, pastinaca, uite syluestri, dracunculo, thapsia, ficidula, ebena, malo terræ, scammonia, filice: tum quæ quibus locis præstantiora medicamenta.

Caput XXII



Iper fructus est: eius genera duo: unum enim rotundum, erui modo, tegmine, carneq; constans, sicut laurina bacca, subrutilūa: alterū oblongum, nigrū, semina papaueris continēs: longe hoc ualidius altero: ambo uim calefactoriā obtinent: quamobrem contra cicutam auxiliatur, & etiam thus. Granum enidium rotundum, colore rubrum, maiusq; pipere est: sed caliditate multo ualidius. Qua de causā cum deuorādum datur (dari enim cōtra alui solutionē solet) in pane, aut adipe obductū sumitur: aliter enim guttam adurit. Peucedani quoq; radix uim calefactoriā habet: quamobrē unguentum quidā uel ex ea sudatoriū faciūt. Datur & ad lienes radix peucedani: semen inutile est, nec succus ulla in re prodest. Pastinacam agro Spartensi Achaia laudatissimam referūt: natura calefactoriā, radice nigram. Radix quoq; uitæ syluestris, calefactoria acrisq; est: quamobrem ad psilothi usum idonea, & uitia cutis in facie emūdat: fru-

ctu eius defoliare arbores solent: succiditur omni tempore, sed præcipue autumnò.
 Dracūculi radix data ex melle, utilis quæ tusses sanare possit: caulem uersicolorem
 serpētis speciem præsentantē gerit. Eius semine nulla in re uti solēt. Thapsiæ radix
 uomitoria est, & si quis continuit tam superius quàm inferius purgat. Ad hæc liuida tol-
 lere potest. Suppurationes tamen alias exalbidas facit: succus eius ualidior est, &
 quidē tam superius quàm inferius purgat. Nullus seminis usus: nascitur tum alibi, tum
 in terra Attica: in qua pecudes incolæ eam nō tangunt, peregrinæ uero depascunt:
 & aut alius soluitur, aut intereunt. Fidicula semper post imbres erumpit, & semen
 nullum producit. Ebeni lignum aspectu buxo simile constat: sed decorticatum ni-
 gerrimum redditur. Vtile oculis ad cotem tritum. Målum terræ crassum, & gustatu
 amarum est. Nigrum, odoratumque, folio rotundo: quod super terrā spectetur, non
 multum est. Nascitur potissimum montibus, idque pro optimo effoditur. Vsum eius
 ad multa enumerant: sed optimum ad capitis ruptiones, & ad reliqua tamen ulcera
 fatis uale: & contra serpentum morsus, & ad somnum, & ad secūdas modo pessi,
 partim aqua subactō & illito, partim in melle, oleoque derafum: sed contra serpentes
 e uino acelcente poto, & morso insperfo. Ad somnum uero in uino nigro austero
 attrito. At si uulua prociderint, ex aqua colluere conueniet. Id igitur numeroso re-
 ferre usu uidetur. At scammonia ueluti e contrario succus tantū usui est, & nil aliud.
 Filicis radix colliquata tantum in usum euenit: gustum astringit non sine aliqua dul-
 cedine, lumbricum latū expellit: semen filici nullum est, nec succum quem emittat,
 hæc habet: autumnò succidi tempestiue affirmat. Lumbricum autē gentium non-
 nullis natura inesse percipitur. Habent enim omni quasi ex parte Aegyptij, Ara-
 bes, Armenij, Syri, Cilices: e diuerso Thracibus & Phrygibus nullo pacto enasci
 enarrat. Inter Græcos Thebanis, scilicet uersari in gymnasijs solitis. Et ad summam
 Bœotijs innasci lumbricum nouimus: Atheniensibus nullo pacto. Omnium uero
 medicamentorum, quoad simplicius explicari liceat, præstantiora, quæ locis gelidis,
 aquilonijs, siccisque proueniūt. Quamobrē inter ea quæ in Eubœa oriūtur, meliora
 quæ ferant Aegæ: deteriora, quæ Telethrium reddat, asseuerant: sunt etenim illa
 sicciora. Telethrium autem locum esse opacum atque subriguum, certum est.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI
NONI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA

PLANTARVM LIBER DECIMVS.



DE radicibus quæ medicæ sint, quasque uirtutes uel in se, uel in
 succis, uel etiã aliqua parte habeant: & in totū, si quid e fruticibus,
 aut herbis uires eiusmodi sortiūtur, explicadum hoc uolumine
 arbitramur: nec differentias omittendum, quibus liquores atque
 odores discerni desiderent. Radicum uires permultas, multisque
 usibus accommodandas, naturam dedisse, facile intelligi potest.
 Sed quæ maxime uim medēdi obtineant, has utputa utilissimas
 hominum conquirat ingeniū. Differūt istæ (ut uolumine superiori retulimus) quod
 nō ad eadē, nec in eisdē suas uires possideant. Radices ergo plurimas penē uires in se
 & in fructibus, & in succis gestare uidemus. Sed non desunt quæ in folijs quoque ha-
 beat: & quidē folijs insitas uires, herbas magna ex parte uocare herbarij solēt.

*Paucula hæc in libro decimo transtulit Theodorus,
 nec plura etiam apud Græcos extant.*